

sonantibus catervatim contra inimicos perexerunt. Similiter et inimici signis commotis et armis bellicis preparati versus inimicos pergere curaverunt. Et cum unus versus alium appropinquaret, magno impetu et furore adinvicem unus super alium concurrerunt; prelium magnum et fortissimum incipitur; preliati sunt namque inique et fortissime; innumerabiles ex gente Parthorum¹ *sunt capti et interrepti et vulnerati et in *f. 32a. campo semivivi relictis, et etiam ex Romanis multi sunt interfecti et vulnerati, quam plures capti et retenti. Duravit illud prelium ab ortu solis usque ad occasum, sero veniente unus ab alio voluntarie secessit. Capti sunt in illo bello ex gente Parthorum septem milia XXXII, interrepti mille CCC viri prudentes et bellicosi, et innumerabiles vulnerati. Ex gente vero Romanorum capti sunt CCXXII et interrepti XLIII viri bellicosi. Obscura vero nocte veniente², videntes Nectabus et Nichodemus fortitudini gentis Iulii Cesaris minime resistere posse et suos in prelio deficere, privatim in quadam planicie fossis et ripis profundis circumdata, situ loci et non arte munita, cum suis omnibus se recoligerunt. Et sperantes et indubitanter credentes in illa posse evadere munitione. Die vero veniente, ante ipsius diei crepusculum Iulius Cesar iussit capere arma. Armati namque et ornati³ ad bellum signis belli motis et tubis et clangis sonantibus versus tentoria inimicorum perexerunt. Cum autem appropinquassent ad castra, videntes neminem de castris exire, omnes usque ad castra currentes et in ipsis quoque castris aliquem de inimicis minime invenientes, castris et omnia que in ipsis erant penitus relictis et dimissis, impetu et insultu magno versus locum, ubi aderant inimici, *concurrerunt et ipsos ab omni parte obsiderunt et undique *f. 32b. illos cum sagittariis, balestariis et fondibulariis⁴ expugnaverunt. Insuper machina⁵ fieri fecit, cum quibus lapides mire magnitudinis in ipsa planicie proiciebant. Dum autem per septem dies stetissent, videntes Nectabus et Nichodemus nullo modo resistere posse et cibo et potu omnimode carere, pactum a Iulio Cesare petierunt; qui nullo modo esse facturum respondit. Ipsi hoc audientes, difisi de vita eorum, arma penitus dimiserunt, nullam defensionem facere de cetero proponentes. Cognoscentes autem Romani inimicos et cibo carere et fame et siti deficere, in ipsa quidem planicie per ripas et cavernas sunt conati intrare. Pergentes autem per expeditionem Parthorum¹ invenerunt partem eorum fame defecisse, Nectabum et Nichodemum ingenti dolore et tristitia ad desperationem ducti, ante-

1) 'parchorum' Hs.

2) 'uenientes nectabus' ('videntes' fehlt) Hs.

3) Vielleicht ist 'ordinati' zu emendieren, wie Ann. Plac. p. 414, 28. 427, 22. 428, 28. 447, 41.

4) 'frondib.' Hs.

5) Als Neutrum wird das Wort von Codagnellus auch in den Gesta obsid. Damiatae gebraucht.